

LVNÆ DIE 20 M. AVGVSTI A. 2012

A.d. XIII Kal. Septembres a. MMXII

169

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

THΛE

Tele, vocabulum origine Græcum (τῆλε = longe, procul), nostris temporibus multis vocabulis præfigi solet ut significetur aliquam rem procul sive adspici, sive audiri, sive fieri. Hoc præfixum, in lingua Græca antiqua multum adhibitum, ab antiquis Romanis non adhibebatur; in Latino sermone scientifico primum apparere videtur, cum Galileus suum novum tubum opticum, ad longinqua sidera detegenda aptum, vocavit «telescopium».

Nuper autem in Americanorum exercitu ortum est novum genus militum, qui magis quam antiqui nomen merentur, quod est τηλεμάχοι (qui ex longinquo certant). Eorum enim arma sunt aeroplana homine gubernatore vacua, quæ Americani vocant *Unmanned Aerial Vehicle*, vel etiam *Unmanned Aerial System*.

Prima huiusmodi aeroplanorum experimenta facta sunt priore parte vicesimi sæculi; tunc solum adhibebantur ut scopi aërii cannonum exercitationibus idonei. Ea, quæ circa annum 1930 in Magna Britannia adhibebantur, tam erant strepentia, ut Anglice cognominata sint *drone*, i.e. Latine fucus. In lingua Francogallica vocabulum *drone* servatum est ad hæc aeroplana designanda, quamquam ab Americanis non adhibetur; quid Latine dicendumst? «Fucus» melius convenire videtur, quam «UAV».

Recentius fuci facti sunt terribilia arma bellica. Varia fucorum genera fabricare cœperunt Americani, tempore belli in Corea (1950-1953) et in Vietnamia (1964-1975) facti. Post mahumetanorum ictum terroristarum in turres Neoeboracenses anno 2001 perpetratum, præses Bush novum belli genus contra tromocratas indixit: cum eorum duces se diversis locis occultarent, fuci facti sunt arma ad eos interficiendos maxime idonea. Sunt nunc circiter septem milia fucorum in Americanorum exercitu, inter quos numerantur tum alii non longiores quam 16,5 cm, cum alii II metra longi.

Afghanistania et Pakistania duæ hodie sunt regiones, ubi se præsertim occultant duces tromocraticæ necnon islamiciæ consociationis *Al-Qaïda*. Selecti fucorum ictus in tromocratas incohati sunt iussu præsidis Bush, multo autem frequentiores facti ab anno 2009, cum Obama præses factus est; eorum maxima frequentia (905) fuit anno 2010.

Quamquam hi scopi longissime absunt ab America, fuci gubernatores sedent in basi de *Creech* vocata, in Nevadæ solitudinibus sita; hi homines iussa gubernationis inde ad fucum mittunt undis per satellitem transmissis.

Unus ex his gubernatoribus, qui antea aeroplaniga venator fuit, hæc narrat de aliquo tromocrata necando:

«Eius vultum video in quadro visifico; eum per horas observare valeo; exspecto dum ludit cum liberis aut loquitur cum feminis, sed, statim ac solus est, fucum iubeo missile in eum dirigere.»

Gaudent plerique Americani, quod auxilio horum mirificorum armorum nullus miles periclitatur; insuper fere omnes præcipui duces consociationis *Al-Qaïda* exstingui potuerunt. Die 4 m. Iunii 2012 vicarius hodierni ducis, Abou Yahya al-Libi, repertus est in vico *Mir Ali* in parte septentrionali Vaziristaniciæ (in Pakistaniciæ montibus). Tranquille dormit in primo tabulato domus luto confectæ. Prima luce, fucus, ad speciem «Prædator» vocatam pertinens, qui quinque chiliometris ab eo loco volat, «teleiubetur» missile in eius cubiculum dirigere; tam accurata est displosio, ut duo tantum cubacula deleantur et solus vicarius necetur.

Hi longinqui gubernatores sunt hodierni τηλεμάχοι....

Gaius LICOPPE



Hic extraordinarius fucus aspectum præbet volucris 'colibri' et eius exemplo volare valet sive immobilis sive progrediens sive regressus; vix longior est quam ipsa avicula (16,5 cm). Est optimus speculator minima sed exactissima camera cinematica præditus, cuius imagines gubernatori continuo transmittit; quocumque clanculum intrare potest (Imago: *Paris Match*' 21-27 m. Iunii 2012).

DE GERARDI VOSSII BORCHLONII ARTIS RHETORICÆ METHODO (1571) NVPER REPERTA*

– scripsit Stephanus Gysens –

« (...) semper fui[t] exemplum probitatis, innocentiae virtutumque omnium, qui omnium divinarum humanarumque rerum scientia ita præstaret, ut neminem sui ævi metueret, cum ita Græce loqueretur, ut eius oratio Athenas ipsas olere videretur. (...) Magna semper fuit, apud homines doctos, existimatione atque honore, multos S.R.E. Cardinales, literatos viros ac probos, arcissima habuit familiaritate coniunctos, sed Card. Sirleto in primis usus est familiarissime. Fuit etiam Summis Pontificibus ac Gregorio XIII præ ceteris, eximie carus, denique bonis omnibus acceptissimus, qui, eius morte, damnnum Romanas ac Græcas literas fecisse, testati sunt.»¹ His verbis Ianus Nicius Erythræus (1577-1647) in *Pinacotheca* sua usus est ad depingendam imaginem Gerardi Vossii Borchlonii (Lossæ,² a. 1547 - Leodii, a. 1609), cuius *Artis rhetoricæ methodum* nuper repertam hic lectoribus *Melissæ* proponere velim.

Sed quisnam fuit Vossius ille, qui insuper sæpius cum homonymo suo, celeberrimo professore Gymnasii Amstelodamensis Gerardo-Joanne Vossio (1577-1649) confundebatur (et semper confunditur!)? Audiamus ergo quid homo noster de vita operibusque suis disseverit in paginis liminaribus ultimæ suæ editionis a. 1604 in lucem prolatæ:³

« (...) a nobis edita (...) tibi brevibus hic ordine temporum, prout prodierunt, perlubens recensebo, ut omnium notitiam habeas. Ea autem tam in prophanis quam Ecclesiasticis hæc sunt. Anno 1571 a nobis Rhetorica in Catholico generali studio Lovaniensi edita est, ac sermo utriusque Bavariæ Duci olim Alberto dedicata; in qua cuncta oratoriæ facultatis præcepta ac schemata ad veros suos usus revocantur & applicantur. An. 1575 (qui annus Iubilæi erat) Romæ in Scipionis somnium ex sexto M.T. [Ciceronis] de Republica commentarium edidimus (...) ad Amplissimum Card. Ioannem Moronum (...) quocum etiam anno post consequente 1576 Apostolico Legato, ex alma Urbe in Germaniam ad Imperialia comitia Ratisponensia ivi (...); unde cum eodem amplissimo Card. Legato Patrono in Italiam Romam ad eiusdem familiam iterum redii.⁴ Anno 1580 S. Patris Ioannis Chrysostomi monumenta quædam Romæ a me sunt edita Græce & Latine, in Principes Apostolorum Petrum & Paulum (...), necnon in Duodecim simul Apostolos. Anno 1581⁵ edidimus insigne Theodoriti Episcopi Cyri monumentum περί της ἀγάπης, id est de charitate, in utraque etiam lingua, una cum nostris quoque scholiis. (...) Anno 1586 Gregorii Papæ Noni gesta ac monumenta quædam insignia prius non edita evulgavimus (...). Anno postea

1589 editus a nobis est Romæ in folio tomus primus Operum omnium sancti Patris nostri Ephræm Syri, cum Latina nostra e Græco traductione, ac scholiis (...). Anno 1593 secundum tomum Operum omnium eiusdem sancti Patris Ephræm Romæ in Typographia Vaticana evulgavimus (...) An. 1594 sancti Bernardi Abbatis Clarævallis de consideratione ad Eugenium Papam tertium libros quinque in capita redactos (...) una cum argumentis nostris ac scholiis Romæ exc[us]udendos curavimus. Anno postea 1598 tertium atque postremum Operum omnium sancti Patris nostri Ephræm Syri tomum (...) in urbe Roma edidimus. Anno denique 1603 præsens istud Magni Gregorii Neocæsariensis episcopi, cognomento Thaumaturgi opus (...) in lucem (...) protulimus; anno nimirum ætatis nostræ quinquagesimo sexto⁶ & urbicæ mansionis trigesimo. Succedent postea Deo propitio, ac vita comite, Opera omnia Sancti ac Magni Leonis Papæ eius nominis primi, per nos in multis recognita, aucta & illustrata; quibus & Hilari Papæ proximi illius in pontificatum successoris acta pluresque epistolas adiunximus (...).⁷ Quibus omnibus, Tu Lector, suaviter fruire, nostrisque pro te variis laboribus atque sudoribus bene precare & in Christo Vale. (...)»

Nunc tandem, postquam Vossium nostrum de semetipso loquentem audivimus, tempus est proponere primitias eius, opus c.t. *Artis rhetoricæ methodus*.⁸ Anno 2009, cum in commemorationem quadringentesimi anni mortis Vossii exquirem libros et documenta ad vitam et opera Vossii pertinentia quæ Lovanii et Lossæ exhiberentur,⁹ in bibliothecarum catalogis electronicis non unum, sed etiam tria exemplaria repperi huius libri manualis quem diu desperavi deperditum esse.¹⁰

Fine mensis Aprilis a. 1571, ut videtur, celeberrimus typographus Antverpiensis Christophorus Plantinus (ca. 1520 - 1589) in epistula quadam sua scripsit Vossium «brevi de arte Rhetoricæ edituru[m] librum, nunc summa cum laude Leodii eamdem artem profite[ri]». ¹¹ Ex hac brevi mentione patet ergo iuvenem nostrum, studiis Artium in universitate studiorum Lovaniensi absolutis, a. 1571 in civitate Leodiensi artem rhetoricam docere.

Pauca tamen de Vossio rhetoricæ magistro nobis nota sunt. Quamquam nomen unius tantum studiosi iuvenis quem homo noster rudimenta huius artis docuit, traditum est in inscriptione manu scripta qua alumno suo quamdam ex suis editionibus dicavit,¹² nescimus autem quam in schola munere magistri functus sit nec per quantum temporis. Tamen duo indicia

sunt quæ demonstrant quandam necessitudinem existisse inter Vossium et Fratres Hieronymitas (vel Fratres Vitæ Communis) qui Leodii in Collegio Sancti Hieronymi studia humanitatis docebant.¹³ Nam in fine *Artis rhetoricæ methodi* subiungitur longum carmen commendaticium conscriptum a fratre Liberto Houthem (fragmenta huius carminis in altera parte dabimus), tunc temporis rectore in ipso Collegio Sancti Hieronymi.¹⁴ Forsan aliud indicium, etsi minoris momenti, huius necessitudinis sit quod Vossius in editione sua *Somnii Scipionis* a. 1575 evulgata scripsit se quandam variam lectionem repperisse in vetustissimo quodam exemplari «ante centum et quattuor annos excuss[o] in Germania, ex Bibliotheca fratrum Hieronimianorum Leodiensium».¹⁵ Nescio an hæcine duo indicia sufficiant ut concludamus Vossium munere rhetoricæ magistri in collegio Sancti Hieronymi functum esse.

Perlustramus nunc hoc volumen valde commodum, quod a. 1571 Lovanii ex prelis Rutgeri Velpii prodiiit.¹⁶ Postquam typographus breviter hoc opus lectoribus commendavit (p. 2), Vossius in epistula dedicatoria (p. 3-12), Idibus mensis Augusti a. 1571 conscripta, fusius collaudat Albertum ducem Bavarie (1528-1579) ut bonarum litterarum patronum omnimodo idoneum, insuper et arduum defensorem fidei Catholicæ et factorem Societatis Iesu in ducatu Bavarie. Epistula Plantini quam iam antea hic adduximus proprie missa erat consiliario Alberti, Erasmo Vendio (v. *Fend*) (1521-1587), qui conquireret homines aptos ad profitendam artem rhetoricam in studiorum universitate Ingolstadtensi (ab a. 1543 partim a Iesuitis recta). Plantinus, consulto theologo Iesuita Iohanne Wilhelmi (v. *Willemss*) Harlemio (c. 1537 - 1578),¹⁷ ad hoc munus duos candidatos proposuit: Vossium nostrum et quandam alium hominem quem non nominat.¹⁸ Cur Vossius hanc præfationem duci Bavarie (filiisque eius) dicaverit, nunc ergo clarius est. Tamen iuvenis magister noster tandem non Ingolstadtium profectus est ut illic artem rhetoricam profiteretur, sed a. 1572 Romam adiit ut studia in Collegio Germanico-Hungarico incoharet.

In hac sua præfatione affirmat se hanc methodum proprie ad usum studiosæ iuventutis scripsisse (p. 8-9):

«Causa vero dedicationis nostræ in eo posita est, tum ut foetum primitiasque has nostras ab iniuriis & Momorum calumniis vindicarem, tum ut Rhetoricam hanc meam in gratiam studiosorum conscriptam, posteris illustriorem redderem magisque gratam piis adolescentibus tam pio & Catholico Principi dedicatam relinquerem. Quo autem Methodus sit facilior utilitasque

discentium maior, universas bene dicendi præceptiones & exornationes per erotemata, sive quæstiones pertracto, easdemque ad veros suos usus (quod idem in suis Dialecticis præstitit eximia eruditionis vir Doctor Augustinus Hunæus,¹⁹ Sacrarum litterarum apud Lovanienses nostros Professor Regius, quem hic honoris causa nomino, quemque ut amo, sic & libenter imitor) revocare conor. In hoc autem opere conficiendo secutus sum Aristotelem, Ciceronem, [Q.] Cornificium, [M.] Fabium [Quintilianum], neque Neotericos sum asperratus. Ex quibus sane omnibus ea potissimum deprompsi & in methodum redegei, quæ posteritati maxime gratia studiosisque adolescentibus hoc tempore cum primis utilia fore sum arbitratus. Permultos quidem, Clementissime Princeps, post Tullii tempora, qui de arte oratoria pertractarunt plurima & prudenter & docte haud inficior extitisse; adeo vero paucos fuisse in tanto rhetorum numero, qui (ut debuissent) iuventuti Christianæ consuluerint, quique in suis Rhetoricis præceptionum & exornationum suæ artis verum usum retulerint. Illud est profecto quod in admirationem me semper rapuit maximum, & eo quidem amplius, quod eadem præceptiones & exornationes, nisi veris suis coniungantur usibus, admodum videantur steriles atque ieiunæ. Illarum autem usum, quantum ingenio & labore consequi potuimus, hoc in libro demonstrare & ob oculos proborum adolescentum ponere conati sumus; non quasi aliis, qui ante nos scripserunt, vel scripturi sunt, palmam abrepturi, sed potius ad id melius accuratiusque præstandum aliis viam straturi. (...)»

Huic epistolæ dedicatoriæ subiunguntur carmina commendaticia quæ pro opere Vossi conscripserunt tres bonarum litterarum amatores (de quibus mihi, eheu, perpauca innotuerunt): carmen unum Sebastiani Duphæthi Angeli curiæ Leodiensis advocati (p. 13), duo carmina Græca cuiusdam Ἀδριάνου Ἐλοκώμου (quorum unum Εἰς τὴν τοῦ Γεράρδου Ἀλωπεκίου ῥητορικὴν et alterum contra Momum) (p. 14) et duo carmina Antonii Dionysii Durbuti²⁰ (quorum unum iterum contra Momum) (p. 15-16). Ex his carmen Duphæthi selegimus:

In Rhetoricam M. Gerardi Vossii Borchlonii

Collige complures pariter, lustra que smaragdus,
Omnibus unus erit nobilitatis honos.
Si tamen observes ex ordine quemlibet æquo,
Qui reliquos superet gratior unus erit.
Hac in re, memini, multorum scripta supersunt,
Qui tamen excellat Vossius unus adest.

Vossius auctor adest verborum flore venustus,
 Cum methodo facilis, cum brevitate gravis.
 Quod docet, arte docet, rationeque firmat & usu,
 Ordinis incepti fine secutus iter.
 Qui cupis orator venæ felicis haberi,
 Huc animum confer, quod petis, intus habes. ☞

(Continuabitur)

* Opera per compendium adhibita: *Bibliotheca Belgica* = *Bibliotheca Belgica: bibliographie générale des Pays-Bas fondée par Ferdinand van der Haegben, réédit. sous la direction de Marie-Thérèse Lenger, Bruxellis, 1964-1975, VII vol.*; Pettegree-Walsh, *Netherlandish Books* = A. Pettegree - M. Walsh, *Netherlandish Books. Books Published in the Low Countries and Dutch Books Printed Abroad before 1601*, Lugduni (Bat.) - Bostoniæ, 2011; Voet, *Plantin Press* = L. Voet (adiuvante J. Grisolle-Voet), *The Plantin Press (1555-1589). A Bibliography of the Works printed and published by Christopher Plantin at Antwerp and Leiden*, Amstelodami, 1980-1983. In fragmentis operum Vossii et æqualium eius quæ lectoribus *Melissæ* proponimus, orthographia et interpunctio paululum ad nostros usus redactæ sunt. - Gratias agere velim dominæ Annæ Renard, rectrici bibliothecæ publicæ Antverpiensis c.n. Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, quæ mihi licentiam dederit divulgandæ paginæ tituli, necnon amico Wolfgango Jenniges qui limaverit textum meum.

1. J.N. Erythræus, *Pinacotheca altera imaginum, illustrium, doctrinæ vel ingenii laude, virorum, qui, auctore superstiti, diem suum obierunt*, Coloniae Ubiorum: Apud Jodocum Kalcovium & socios, 1645, sub n° 39 (p. 125-127) [quæ etiam inveniri potest in bibliotheca interretiali c.n. «DFG-Projekt CAMENA, Heidelberg-Mannheim», in pagina: <http://www.uni-mannheim.de/mateo/camenaref/rossi.html>]. Gratias mihi hic agendæ sunt prof. Theodorico Sacré Lovaniensi qui mihi hanc imaginem Vossianam indicaverit. De *Pinacotheca* Erythræana, vide nunc I. Herklotz, «Ianus Nicius Erythræus und Jean-Jacques Bouchard. Zur schweren Geburt einer neulateinischen Vitenammlung des 17. Jahrhunderts», in: *Neulateinisches Jahrbuch*, 10 (2008), p. 145-176.

2. Lossa aut Loscastrum (v. *Borghoon*), in provincia Belgica Limburgi quæ nunc est, distat circiter 20 chiliometra ab oppido Hasselto. In paginis tituli Vossius semper adhibet toponymum «Borchlo(o)nius», et semel «Loscastrus».

3. *Sancti Gregorii Episcopi Neocæsariensis, cognomento Tbaumaturgi, opera omnia, quotquot in insignioribus, præcipuè Romanis bibliothecis reperiri poterunt (...). Interprete, et Scholiaste Reverendo D. Doct. Gerardo Vossio Borchlonio, Germ[ano] Præposito] Tungrensi. Adiecta sunt miscellanea sanctorum aliquot Patrum Græcorum & Latinorum. Omnia nunc primum in lucem edita, eodem D. Doct. Gerardo Vossio auctore & Collectore*, Moguntia: Apud Balthasarum Lippium, Sumpitibus Antonii Hierat, 1604, p. [15]-[17]. Similem notitiam autobibliographicam, ut ita dicam, invenies in alio opere auctoris nostri c.t. *Operum omnium sancti Ephræm Syri patris et scriptoris Ecclesiæ antiquissimi et dignissimi, quotquot in insignioribus Italiæ bibliothecis præcipuè Romanis, Græcè inueniri poterunt: tomus tertius, et ultimus, nunc recens Latinitate donatus, scholiisq[ue] illustratus. Interprete & Scholiaste R. D. Doct. Gerardo Vossio Borchlonio Germ[ano]*, Romæ: Ex Typographia Vaticana, 1598, p. 318.

4. Tunc temporis Vossius etiam præceptor Horatii Moroni (†1603), nepotis cardinalis Moroni, erat.

5. Exemplaria huius editionis quæ hucusque mihi inspicere licuit, annum 1580 in pagina tituli habent. Præterea in repertoriis bibliographicis et in catalogis bibliothecarum semper idem annus 1580 invenitur. Forsan hæc discrepantia annorum indicet hanc editionem tantum a. 1581 venum datam esse? 6. Ex hoc et aliis indicibus desumi potest hominem nostrum a. 1547 natum esse. 7. Editio de qua Vossius hic loquitur, numquam, quod sciam, publici iuris facta est.

8. *Artis rhetoricæ methodus absolutissima, In qua per Erotemata, sive Questiones universæ Præceptiones Rhetorices, ex Aristotele, Cicerone, Cornificio, Quintiliano tractantur, & ad veros suos usus breviter atque dilucidè revocantur. Auctore Gerardo Vossio Borchloonio*, Lovanii: Apud Rutgerum Velpium Typog[raphum] Iura[tum] sub Castro Angelico, 1571; 212 + [3] p., in-12° [cf. E. Cockx-Indestege, G. Glorieux et B. Op de Beeck, *Belgica typographica 1541-1600. Catalogus librorum impressorum ab anno MDXLI ad annum MDC in regionibus quæ nunc Regni Belgarum partes sunt [...]*. (= *Nationaal Centrum voor de Archeologie en de Geschiedenis van het Boek / Collection du Centre national de l'archéologie et de l'histoire du livre* 2), Nieuwkoop, 1968-1994, sub n° 93551 et Pettegree-Walsh, *Netherlandish Books*, sub n° 31165 (in his duobus repertoriis opus Vossi nostri tribuitur Gerardo-Joanni Vossio, qui tantum a. 1577 natus est!)] Hoc opus deest in catalogo tractatum de arte rhetorica tempore renatarum litterarum quem L.D. Green et J.J. Murphy congeserunt sub titulo *Renaissance rhetoric short title catalogue, 1460-1700*, (Editio altera, Ashgate, 2006).

9. Hæc exhibitio, adiuvantibus prof. Carolo Laga Lovaniensi et fundatione c.n. Græcitas Christiana, habita est Lovanii in Bibliotheca Facultatis S. Theologiæ c.n. Maurits Sabbe et Lossæ in curia municipali. Hac occasione libellum conscripsi c.t. *Tussen Borgloon en Rome. Gerardus Vossius (1547-1609)* (Lovanii-Lossæ, 2009), ubi plura invenies de vita operibusque Vossii. 10. Ad conscribendum hunc commentariolum exemplari usum suum quod adservatur Antverpiæ in bibliotheca c.n. Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience (sub numero C 1121 [C2-539 g]). Præter hoc exemplar Antverpiense duo alia exemplaria reperiri, quæ inspicere nondum potui: unum in bibliotheca universitatis studiorum Clagenfurtensis (sub numero I ES 8591), et alterum Perusiæ, in Bibliotheca publica (sub numero I N 244).

11. M. Rooses (ed.), *Correspondance de Christophe Plantin*, vol. II, Antverpiæ - Gandavi - Hagæ Comitum, 1885, p. 212-213 [ep. 274 - quæ post diem 25 mensis Aprilis a. 1571 conscripta esse videtur]. 12. Vossius exemplar editionis quam Romæ in lucem edidit operis Bernardi Abbatis Claravallensis *de Consideratione*, misit Francisco Flerontino (1556-1615) (v. *de Fléron*), tunc temporis rectori Collegii Leodiensis Jesuitarum. Hoc exemplar nunc in bibliotheca Seminarii Leodiensis adservatur; videsis J. Gustin, *Catalogue des imprimés du XVIe siècle conservés à la Bibliothèque du Séminaire de Liège* (= *Archives et Bibliothèques de Belgique / Archief- en bibliotheekwezen in België*, numerus extra seriem 50), Bruxellis, 1996, sub numero B 32 («(...) Francisco Flerontino (...) suo olim discipulo carissimo (...) ex Urbe Roma dono mittebat Auctor G. Vossius»).

13. De Fratibus Vitæ Communis Leodiensibus, videsis præsertim R. Hoven, «Lüttich. Domus sancti Hieronymi», in: W. Leesch, E. Persoons et A.G. Weiler (eds.) *Monasticon Fratrum Vitæ Communis. I: Belgien und Nordfrankreich* bearbeitet von E. Cockx-Indestege e.a. (= *Archives et Bibliothèques de Belgique / Archief- en bibliotheekwezen in België*, numerus extra seriem 18), Bruxellis, 1977, p. 91-94. Adservatur etiam codex manuscriptus (in bibliotheca universitatis studiorum Leodiensis, ms. 3279), in quo insunt variæ epistolæ aliique textus a studiosis Collegii S. Hieronymi conscripti. Specimina ex hoc manuscripto proponuntur apud M. Delcourt - J. Hoyoux, «Documents inédits sur le Collège Liégeois des Jérômistes (1524-1526)», in: *Annuaire d'histoire liégeoise*, V,5,

fasc. 25 (1957), p. 933-979.

14. De Liberto Houthem (ca. 1533 (?) - 1584), videsis notitiam biographicam quam J. IJsewijn divulgavit in opere c.t. *Nationaal Biografisch Woordenboek [van België]*, vol. 10 (1983), col. 263-268. Frater ille a. 1570 etiam *Progygnasmatum Francisci Sylvii Ambianatis in artem oratoriam epitomen* edidit (Leodii: typis G. Morbierii) (cf. *Bibliotheca Belgica*, vol. III, p. 523 [auctore M. Hoc]).
15. *Gerardi Vossii Eburonis Borcbloomii in Scipionis somnium ex sexto M. T. [Ciceronis] De Rep[ublica] Commentarius. Accessit paraphrasis ac paradigma variarum lectionum ex codicibus manuscriptis atque impressis collatis. Opus sanè cum primis doctum, ac studiosis omnibus perutile, et nunc primum in lucem editum. (...)*, Romæ: Apud hæredes Antonii Bladii impressores came- rales, 1575, p. 95-96. Non liquet quam editionem incunabilem, quæ dicitur, Vossius hic referat. In repertoriis bibliographicis prout *The Incunabula Short Title Catalogue* (quem invenies sub: <http://www.bl.uk/catalogues/istc/index.html>) aut *Gesamtkatalog der Wiegendrucke* (quem invenies sub: <http://www.gesamtkatalogderwiegendrucke.de/>) editionem huic descriptioni congruentem non reperiri.
16. Rutgerus Velpius (ca. 1540 - 1614/1615) inter a. 1564/1565 et a. 1580 Lovanii typographus erat, in domo c.n. Castrum Angelicum (v. *Engelborch*), in angulo Fori et hodiernæ viæ Namurcensis. Diploma «Typographi Iurati» ei a. 1570 a Christophoro Plantino, munere Architypographi Regii fungente, datum est. Postea migravit primum Montes Hanoniae (1580-1585) et deinde Bruxellas, ubi usque ad mortem vixit. De Velpio, vide præter notitiam biographicam quam divulgavit R. Wellens in: *Biographie nationale de Belgique*, t. 40 / Suppl. 12 (1977-1978), col. 799-807, i.a. P. Delsaerd, *Suam quisque bibliothecam: boekbandel en particulier boekenbezit aan de oude Leuvense universiteit, 16de - 18de eeuw* (= *Symbolæ Facultatis litterarum Lovaniensis. Series A 27*), Lovanii, 2001, p. 418; E. Roobaert, «De zeventiende-eeuwse Brusselse boekhandelaars en hun klanten bij de Brusselse clerus», in: A. Tourneux (ed.), *Liber amicorum Rapbaël De Smedt. 4 Litterarum Historia* (= *Miscellanea neerlandica 26*), Lovanii, 2001, p. 47-70 (p. 61, 63), et Id., «Centrale en gewestelijke besturen en hun aankopen en bestellingen bij boekhandelaars en -drukkers (16de eeuw)», in: *Archief- en Bibliotheekwezen in België*, 76 (2005), p. 1-66 (p. 18-19, 33-40, 60-62). - In hoc opusculo Vossiano Rutgerus Velpius duabus litteris initialibus, ut ita dicam, usus est (littera S in p. 3 et littera E in p. 25) ex serie litterarum qua primum Johannes de Winghe Lovanii a. 1554-1555 et postea Renerius Rutgerii pater ab anno 1564 in typis suis usi sunt. De hac serie litterarum, videsis G. Glorieux et A. Rouzet, «Les Velpius à Louvain. Formation d'un atelier», in: M.-T. Isaac (ed.), *Ornementation typographique et bibliographie historique. Actes du Colloque de Mons (26-28 août 1987)* (= *Documenta et opuscula 8*), Bruxellis, 1988, p. 67-85 (p. 69, 74 et 84 [series L 15]).
17. Johannes Harlemius a. 1568 prælegit linguam Hebraicam in Collegio Trilingui Lovanii et inter discipulos Robertum Bellarminum habuit. Iam a. 1564/66 in Societatem Iesu intravit et a. 1574 rector factus est collegii Lovaniensis. Confecit *Indicem biblicum* in *Biblia «Regia» Polyglotta* (aa. 1571-1573 a C. Plantino in lucem data), in quorum præparatione etiam consultor fuit. De hoc Jesuita videsis i.a. de Vocht, *Collegium Trilingue Lovaniense*, vol. IV, p. 156-157; Voet, *Plantin Press*, præsertim sub n^{is} 604, 644, 1507 et 1587, et J. Van den Gheyn, *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque Royale de Belgique*, t. I, *Écriture sainte et Liturgie*, Bruxellis, 1901, sub n^o 33 (ms. 21700 - Biblia quæ a. 1571 Harlemio a Plantino data sunt).
18. Quamquam Plantinus alterum iuvenem non nominavit, tamen adiunxit eum privatim eandem Rhetorices artem Lovanii docere brevique editurum esse libellum de officio Christiani hominis litteris incumbentis. Aliquot annis postea (a. 1578) Lovanii apud Petrum Zangrium prodiit sub titulo fere simili *De officio hominis Christiani in persecutione constituti* auctore Joanne

- Lensæo (1541-1593) (cf. e.g. *Bibliotheca Belgica*, sub n^o L 18 aut Pettegree-Walsh, *Netherlandish Books*, sub n^o 18876). Fuitne ergo Lensæus hic alter candidatus idoneus ad professoratum Ingolstadiensem?
19. Augustinus Hun(n)æus (v. *Huens* vel *Hoens*) (1521/1522 - 1577/1578) Lovanii per decem annos (aa. 1545-1554) philosophiam prælegit in pædagogio Castrensi. Inter opera quæ conscripsit de re dialectica, sæpenumero novæ editiones *Dialecticæ seu generalium logices præceptorum omnium* in lucem productæ sunt (de hoc opere, videsis adnot. 21). Anno 1567 in universitate studiorum Lovaniensi Professor Regius Theologiæ Scholasticæ creatus est. Unus ex theologis Lovaniensibus fuit qui participes fuerunt in edendis *Bibliis «Regiis» Polyglottis* quæ dicuntur: non tantum orthodoxiam huius incepti vigilavit, sed etiam variis modis consulebat et præsto erat. Præterea etiam editionem *Summæ Theologiæ* S. Thomæ Aquinatis confecit. De hoc philoso- pho et theologo, videsis, præter notitiam biographicam quam E.-H.-J. Reusens divulgavit in *Biographie Nationale de Belgique*, vol. 9 (1886-1887), col. 711-719, e.g. H. de Vocht, *History of the Foundation and the Rise of the Collegium Trilingue Lovaniense 1517-1550, Part the Fourth: Strengthened Maturity* (= *Université de Louvain. Recueil de Travaux d'histoire et de philologie*, ser. 4, fasc. 10 / *Humanistica Lovaniensia 15*), Lovanii, 1955, p. 152-157 et Voet, *Plantin Press*, præsertim sub n^{is} 1414-1432, 2312-2314 (in indice s.v. etiam multa alia exempla invenies operum a Hunnæo censorum aut in quorum editione præsto erat). Ex bibliotheca huius professoris quatuor saltem libri supersunt. Tres nunc in Bibliotheca Regia Albertina Bruxellensi adservantur: 1) Erasmi *Institutio Principis Christiani* (Lovanii: apud Theodoricum Martinum, 1516 [cf. e.g. J. De Reuck (edentibus G. Colin et R. Hoven), *Bibliotheca Erasmiانا Bruxellensis. Catalogus der werken van Erasmus uitgegeven in de 16de eeuw aanwezig in de Koninklijke Bibliotheek Albert I, Bruxellis, 1993, sub n^o 2421*]; 2) Guillelmi Lindani *Apologeticum* (Antverpiæ: apud C. Plantinum, 1569) quod ab ipso Plantino datum est Hunnæo (cf. Voet, *Plantin Press*, sub n^o 1572), et 3) Eusebii Pamphili *Evangelicæ præparationis lib. XV* (Lutetia: ex off. Rob. Stephani, 1544). Quartus autem liber Lovanii in bibliotheca Facultatis S. Theologiæ adservatur: exemplar *Bibliorum «Regiorum» Polyglottorum* aa. 1571-1573 a C. Plantino in lucem datorum (cf. W. Vande Walle et P. Servais [eds.], *Orientalia. Oosterse studies en biblioteken te Leuven en Louvain-la-Neuve* [= *Symbolæ Facultatis Litterarum Lovaniensis. Series B 20*], Lovanii, 2001, sub n^o 8).
20. Antonius Durbutius a. 1567 immatriculatus est in universitate studiorum Lovaniensi (cf. A. Schillings (ed.), *Matricule de l'Université de Louvain, IV. Février 1528 - Février 1569* [= *Académie royale de Belgique. Commission royale d'histoire. Publications in-4°*], Bruxellis, 1962, p. 727, n^o 210). Anno 1571 Durbutius Leodii *Scholia in universam Cornelii Valerii syntaxin conscripta* divulgavit, quorum (unicum?) exemplar in catalogo bibliotheca Monacensi c.n. Bayerische Staatsbibliothek inveni (sub n^o Res./4 L.lat 556,19). Quædam ad genealogiam Antonii Dionysii Durbutii pertinentia invenies apud J. Bernard, «Antoine Denis, Noël Dubois et Gérard Eloy de Durbuy, auteurs de littérature latine et religieuse (XVII - XVIIIe siècle)», in: *Trimestriel Terre de Durbuy*, t. 5, fasc. 18 (1986), p. 39-47. - Quod hi viri litterati se inter se noverant, etiam liquet ex carminibus saltem Duphæthi et Dionysii Durbutii quæ in nonnullis aliis operibus una cum carminibus iam supra nominati Liberti Houthem legi possunt; videsis *Belgica typographica 1541-1600* (...) [cf. adnot. 8] sub n^{is} 8241 et 9148 (i.a. carmen tam Duphæthi quam Liberti Houthem) et n^{is} 5800, 8241 et 8530 (i.a. carmen tam Dionysii quam Liberti Houthem).

DE COMICO DEQVE PHILOSOPHO

– scripsit Iosephus Antonius Rojas Carrera –



Fortasse mirabitur, lecta quidem huius commentatiunculæ inscriptione, quisquis certe putaverit illud sapientiæ studium, philosophiam scilicet, ad altiores gravissimasque hominis res pertinere, neque ullum igitur commercium habere cum iocis, nugis, deliramentisque comicorum.

Neque tamen is sum qui hoc scripto mirum in modum, inepteque sane, autumare audeam studia illa philosophica ad iocos atque risus pertinere. cum tamen hominis natura et seria et ioca, et leviora et graviora vel separatim vel una simul facile complectatur, quid mirum si etiam quidam graviore philosophi salibus iocisque comicorum fructi sint.

Etenim, cum philosophia ad humanitatis medullam pertineat, cogitanti mihi de ipsa hominis natura deque ludicra eius parte, statim in mentem venit illorum verborum «*aliquando præterea rideo iocor ludo, utque omnia innoxix remissionis genera breviter amplectar, homo sum.*»¹ a Plinio Iuniore prolatorum.

Illi enim philosophi, graves scilicet magnique ingenii homines, cum essent doctrina longe proveci, adeo certe eruditi fuerunt ut etiam politiorum litterarum opera, nonnulla dumtaxat, et Græca et Latina legerint – de iis dumtaxat loquor philosophis qui ante hæc novissima tempora fuerint atque in scholis, studiorum universitatibus vel academiis erudiebantur quarum in rationibus studiorum lectiones illæ veterum scriptorum, qui quidem optimi traderentur, severe præscribebantur.

Quos inter philosophos, qui politioribus litteris Latinis Græcisque ab adulescentia imbuti essent, Renatus ille Cartesius facile annumeratur, qui præterea

primus fuisse traditur ætatis *Modernæ*, quam historici nominant, philosophus. Etenim, in primis paginis opusculi sui quod inscribitur *Dissertatio de methodo recte utendi ratione et veritatem in scientiis investigandi*, quum paucis referret de litterarum studiis quibus animus ad humanitatem informaretur, Cartesius, novo consilio capto veritatem inquirendi sua ipsius via atque ratione, potius quam aliorum adminiculis litterariis, quum alia, tum: «*Verum iam – inquit – satis temporis linguarum studio, et lectioni librorum veterum, eorumque historiis et fabulis me impendisse arbitrabar.*»²

Ut denique redeam illuc unde digressus sum, Cartesii *dissertationem de methodo* legenti mihi verisimile visum est non modo ipsius Plauti, festivissimi, ut notum est, ingenii comici, fabulas palliatis lectas fuisse ab hoc gravi philosopho moderno, verum etiam in iis comædiis – præprimis in *Amphitryone* – nescio quid sapientiæ inesse, unde fortasse Gallus philosophus materiam aliquam sibi comparare potuerit, ad doctrinam de ipso *ego* cogitanti conformandam. Quam quidem asseverationem, statim collegi utriusque scriptoris locos conferens quos deinceps describam:

Etenim, in comædia cui index *Amphitryo*, quæ est de personarum identitate a deo Iove abrepta, illusa atque confusa, miser servus Sosia, omnino turbatus atque deceptus Mercurii verbis, quum, secum cogitans, certior fieri conatur se nullum alium esse hominem nisi semetipsum, id est, Sosiam, hæc, inter alia, dixit: «*sed quom cogito, equidem certo idem sum qui semper fui*»³ ac paulo postea ad suam ipse identitatem agnoscendam suis ipsius cogitationibus hæc: «*... sane – inquit – sapio et sentio*».⁴

Apud Cartesium vero, hæc clarissima verba reperiantur: «*Sed statim postea animadverti, me, quia cætera omnia ut falsa sic reiciebam, dubitare plane non posse quin ego ipse interim essem. (...) Videbam veritatem huius pronuntiati: 'Ego cogito, ergo sum,' sive 'existo'.*»⁵

Verisimile igitur est – id quod, ut in transitu dicam, nonnulli iam harum litterarum indagatores repperisse visi sunt sibi – Plautum a Cartesio haud neglegenter lectitatum fuisse. Neque tamen hisce verbis asseverare audeam Cartesii philosophiam ex ingenio Plautino ortam esse, totamque ex illo comico emanasse, quamquam nos certe, ut mea fert opinio, eis in lepidissimis comædiis – earumque Græcis exemplaribus – non modo nugas, sales, iocosque iucundissimos, verum etiam gravis cuiusdam sapientiæ fontem reperire possumus.

Hæc denique est causa cur, etiam ad colendam philosophiam, comædias illas, aliaque leviora ex humano ingenio, animi recreandi causa, exprompta, perlecturus sim neque solos graviore philosophos. ☞

1. Plinius Iuvenis. *Epistularum liber 5*, 3.
 2. Renatus Cartesius. *Dissertatio de metodo recte utendi ratione et veritatem in scientiis investigandi* pag. 4. Ceterum, Cartesius Gallice primum scripserat hanc dissertationem, ab amico quodam postea in Latinum conversam, sed ab ipso philosopho Gallo demum perfectam emendatamque.
 3. Plautus, *Amphitryo*. Act. I, scæn. I, 291.
 4. Plautus, *Amphitryo*. Act. I, scæn. I, 292.
 5. Renatus Cartesius. *Dissertatio de metodo recte utendi ratione et veritatem in scientiis investigandi*. pag. 20-21.
- * Imagines: Cartesius a Gerardo Edelinck (1649-1707) depictus (www.nad.rik-sarkivet.se) et Plautus (www.devoir-de-philosophie.com).



« Suppono igitur omnia quæ video falsa esse; credo nihil umquam exstitisse eorum quæ mendax memoria repræsentat; nullos plane habeo sensus; corpus, figura, extensio, motus, locusque sunt chimæræ. Quid igitur erit verum? Fortassis hoc unum, nihil esse certi.

« Sed unde scio nihil esse diversum ab iis omnibus quæ iam iam recensui, de quo ne minima quidem occasio sit dubitandi? Numquid est aliquis Deus, vel quocumque nomine illum vocem, qui mihi has ipsas cogitationes immittit? Quare vero hoc putem, cum forsitan ipsemet illarum auctor esse possim? Numquid ergo saltem ego aliquid sum? Sed iam negavi me habere ullos sensus et ullum corpus. Hæreo tamen; nam quid inde? Sumne ita corpori sensibusque alligatus, ut sine illis esse non possim? Sed mihi persuasi nihil plane esse in mundo, nullum cælum, nullam terram, nullas mentes, nulla corpora; nonne igitur etiam me non esse? Immo certe ego eram, si quid mihi persuasi. Sed est deceptor nescio quis, summe potens, summe callidus, qui de industria me semper fallit. Haud dubie igitur ego etiam sum, si me fallit; et fallat quantum potest, numquam tamen efficiet, ut nihil sim quamdiu me aliquid esse cogitabo. Adeo ut, omnibus satis superque pensatis, denique statuendum sit hoc pronuntiatum: *Ego sum, ego exsisto*, quoties a me proferitur, vel mente concipitur, necessario esse verum.

« Nondum vero satis intelligo, quisnam sim ego ille, qui iam necessario sum; deincepsque cavendum est ne forte quid aliud imprudenter assumam in locum mei, sicque aberrem etiam in ea cognitione, quam omnium certissimam evidentissimamque esse contendo. Quare iam denuo meditabor quidnam me olim esse crediderim, priusquam in has cogitationes incidissem; ex quo deinde subducam quidquid allatis rationibus vel mini-

mum potuit infirmari, ut ita tandem præcise remaneat illud tantum quod certum est et inconcussum.

« Quidnam igitur antehac me esse putavi? Hominem scilicet. Sed quid est homo? Dicamne animal rationale? Non, quia postea quærendum foret quidnam animal sit, et quid rationale, atque ita ex una quæstione in plures difficilioresque delaberer; nec iam mihi tantum otii est, ut illo velim inter istiusmodi subtilitates abuti. Sed hic potius attendam, quid sponte et natura duce cogitationi meæ antehac occurrebat, quoties quid essem considerabam. Nempe occurrebat primo, me habere vultum, manus, brachia, totamque hanc membrorum machinam, qualis etiam in cadavere cernitur, et quam corporis nomine designabam. Occurrebat præterea me nutriri, incedere, sentire, et cogitare: quas quidem actiones ad animam referebam. Sed quid esset hæc anima, vel non advertēbam, vel exiguum nescio quid imaginabar, instar venti, vel ignis, vel ætheris, quod crassioribus mei partibus esset infusum. De corpore vero ne dubitabam quidem, sed distincte me nosse arbitrabar eius naturam, quam si forte, qualem mente concipiebam, describere tentassem, sic explicuissem: per corpus intelligo illud omne quod aptum est figura aliqua terminari, loco circumscribi, spatium sic replere, ut ex eo aliud omne corpus excludat; tactu, visu, auditu, gustu, vel odoratu percipi, necnon moveri pluribus modis, non quidem a seipso, sed ab alio quopiam a quo tangatur: namque habere vim seipsum movendi, item sentiendi, vel cogitandi, nullo pacto ad naturam corporis pertinere iudicabam; quinimo mirabar potius tales facultates in quibusdam corporibus reperiri. »

Cartesius, *Meditationes de prima philosophia*, II.

DE TORQVATI TAXI CARMINIBVS LATINIS (II)

– scripsit Paula Marongiu –

Electio novi pontificis est duorum carminum Latinorum componendorum occasio. Eo, quod verbis *Magne parens* incipit, in festo coronationis¹ hexametris confecto Taxus Clementem adit populi Christiani et sacerdotem et regum summum pastorem, quem Roma corona ornat, cum septem colles et valles nomen eius repetant. Is videtur maxima auctoritas esse toto orbe terrarum secundum doctrinam theocraticam Mediæ Ætatis ab Innocentio III sæculo XIII ineunte expressam, cum omnes reges eum adorabant, nunc redintegratam, postquam Ecclesia, anno 1564 Concilio Tridentino concluso, fidei hostes devicit et super episcopos absolutam Petri successoris potestatem affirmavit. Quod e versibus insequentibus evidenter exstat:

Quin etiam reges, auro sceptrisque superbos
Et penitus toto divisos orbe tyrannos
Ceus grex lanigerum longinqua ad pascua cogis
Iamque insueta diu, cæca et vestigia firmas
Errabunda regis, gressus animosque labantes
Quidque vasta suo concludunt æquora fluctu.
(vv. 6-11)

In quibus quidquid itineris sui est incertum – etiam reges auro superbi – firma manu Christi vicari egere videntur. Digni qui memorentur sunt etiam versus quibus poeta de coronatione refert:

Quæ tibi pro meritis, connectit florida sarta
Vel quas fulgentes auro gemmisque coronas
Læta parat patri rerum pulcherrima Roma.
(vv. 18-20)

Hic poeta potissimum lucem et splendorem cupit enuntiare, potestatis signum quod Deo Clementem æquat. Huic scopo celebrationis consonat prolatio versus «scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma», quo Vergilius simplicem agricolarum vitam Urbis magnitudinem effecisse declarat.² Præterea tribus utitur verbis: ‘rerum’, quod cum verbo ‘patri’ coniunctum, iam non Romæ sed pontificis magnitudinem significat et ‘pulcherrima Roma’, quæ maiestate sua antiquissima corona papam redimit.

De diademate luceque loquitur quoque in soneto c. t. *Ecco l'alba, ecco il dì, che in sé ritorna*,³ quo is petit ut nimbi et tempestates die coronationis absint, quod certe eveniet, si omnia quæ ad pontificem attinent sunt sacra et pulchra et Italia et Roma sunt Deo acceptæ, ut e secunda parte soneti videre possumus:

Cingon le gemme la sacrata chioma;

Ma fan le virtù sacre il sacro regno
All'alma saggia oltre misura ardente
Fanno il diadema ancor divine menti,
Quasi in tre giri all'alto e chiaro ingegno,
O bella, o cara al Cielo Italia e Roma!
(vv. 9-14)

Sed præcipue dignum est quod consideretur *Ad Clementem octavum Pontificem maximum heroicum carmen*,⁴ poematum 109 versuum hexametris eodem anno exaratum, quo metro gravitas magnopere exprimitur. Cum tria genera componendi, id est lyricum, tragicum, heroicum distinguat, Taxus affirmat, quod ad res spectat, heroicum fundamentum habere in rebus gestis excelsæ virtutis, pietatis, religionis, cum personæ sint semper regali dignitate et summa.⁵ Quid melius quam pontifex Romanus persona huius generis esse potest? Ab eo qui viros doctos et poetas protegebat, qui cogitata eius de potestate et defensione fidei propagarent, poeta in perpetuum imbecillus et tuitionis egens, multum respectabat. Clemens, «decus Europæ, [...] cælo missus ab alto» (vv. 1-2)⁶ effingitur, ut in superioribus carminibus de coronatione accidebat, papatus maiestate, antiquissimi instituti, triregno cinctus, triplicis potestatis emblemate Christi vicari super reges et principes et super orbem terrarum, dum ritus liturgiæ celebrat («Tergemino effulges cinctus diademate crines/ dum pompas ducis», vv. 4-5).

Ut detentorem supremi imperi decet, is populis bonas leges dispensat, ita ut Iustitia in terram redeat. Hoc argumentum in papa iuris perito laudando etiam in Italica cantione videtur amplitudinem habere c. t. *Questa fatica estrema al tardo ingegno*,⁷ ubi is Cælum et Infernum, vires boni et mali, lucis et tenebrarum quæ inter se repugnant, fortiter valideque regit. Quæ pugna a boni viribus victa fundamentum poematis de *Hierosolyma liberata* iam fuerat. Pariter æqualiterque etiam in carmine Latino ante eum, qui est ut sol splendens, malum devictum retrocedere debet:

Hinc vero aufugiunt iam sæva iniuria, ferro
Sanguineo accincta, et ferale lampada quassans,
Implexique doli, priscæ et contagia fraudis,
Iuxtaque ultrices iniusto in funere Diræ,
Et miseranda lues, morbique, et squalida tabes,
Et metus et malesuada fames et turpis egestas.
(vv. 48-53)

Evidenter poeta, qui auctores antiquos in mente sua semper præsentis sequitur, ad mala a pontifice pulsa describenda, celeberrimum locum quo Vergilius Tartara

describit, imitatur.⁸

Sine causa, mea sententia, huius generis imitatio ingeni paupertas visa est in viro fesso et ægroto. Nolo utique autem eius patronæ munere fungi. Tamen modum transire mihi videtur Franciscus Pavo, qui servandos esse tantum primos viginti versus censet, cum magnam partem sit carmen tantum cento et locorum communium colluvies.⁹ Nam obliviscendum non est similia vitia laudativorum carminum Torquati nostri et ætatis eius esse propria. Ceterum sine Vergili exemplo ne *Hierosolyma liberata* quidem, opus præstantissimum legi potest, poema cui *Aeneis* figura intexta esse videtur, ut ante magis quam quinquaginta annos eximie ampleque Fridericus Chiappellius scripto celeberrimo nondum superato explanavit.¹⁰ Classicos studium imitandi est magna pars artis poeticæ sæculi XVI, quæ Vergilium magistrum artis significantis, maximum poetam, maiorem quam Homerum faciebat. Cum de carmine epico agatur, res a heroe gestæ memorantur: Europa et America ei obœdiunt («En tibi uterque simul regnanti obtemperat orbis», v. 20) pugnae arbitro, quæ in immenso mundo pugnatur:

Sub pedibusque tuis quum sol utrimque recursans
Aspicit Oceanum immensum terraqueo iacentes
Sceptra videt, Regumque minas atque horrida bella
Disruptasque acies; actasque in funera gentes.
(vv. 23-26)

Est in primis bellum ad fidem catholicam in novum mundum vulgandam et defendendam ab Evangelii præconibus latam:

Is demum victor cæli dignatus honore est
Qui tali auspicio tulit obvia pectora ferro.
Iam morti devota suæ. Tu fata, Deosque
Concilias, Tu das pompis assistere Divum
Atque triumphanti iungis læta agmina cœtui,
Mortales superique simul pia regna frequentant.
Teque volente pater victæ sunt præmia palmæ.
Victaque causa placet Divis, victaque resurgit.
(vv. 27-34)

Itaque pontifex ecclesiam militantem («læta agmina») ecclesiæ triumphanti cæli («triumphanti cœtui») iungit. Pugna difficilis est, non semper secunda, sed Clemens efficit ut clades in victoriam martyrii muteatur. Insequens versus autem – «Victaque causa placet Divis, victaque resurgit» – ostendit quo modo Taxus ad usum suum Lucani locum elaboret.¹¹ Auctor Latinus versu «Victrix causa diis placet, sed victa Catoni» effi-

caci oppositione (victrix/victa) cogitata sua de bello civili astringit. Nam, rei publicæ propugnator, contra deos, qui Cæsaris victoriam decreverunt, Catonem defendit, causæ perditæ sectatorem, qui pro re publica mortem sibi conscivit. Apud Taxum autem 'causa victa', id est martyrium Evangelii nuntiorum, Deo placet et cum sit, ut Tertullianus affirmavit, sanguinem semen Christianorum, nullum est dubium quin religio catholica victrix sit evasura. Pro exemplo curæ dicendi, versuum concinnitatis, notandæ sunt repetitio (victa/victa) et oppositio (victaque resurgit). Ultima pars autem a populis et regionibus totius orbis terrarum a pontifice domitis occupatur, in primis a Francogallia («Sic tibi pacatos submittit Gallia fasces», v. 85). Agitur re vera de maximo Clementis exitu, qui die 25 mensis Iuli anni 1593 assecutus est, ut Henricus Bourbonensis, religionis reformatæ assecla, unicus victor belli inter catholicos et reformatos pugnati, quod per triginta annos Francogalliam incruentaverat, ad religionem catholicam transigeret et Henricus IV Francogallia rex fieret.

Ut in quolibet carmine heroico Taxus de difficultatibus in versibus pangendis tacere non potest, de quibus diu in longo Italico carmine c. t. *Questa fatica estrema al tardo ingegno* iam allato tractat. Hic tantum a papa et nepotibus petit ut labori suo benevoli assentiantur:

Da facilem cursum nec nostris abnue cœptis
Tuque et qui merito Tyrio spectantur in ostro
Præstantes animis iuvenes, tua clara propago
Cynthius et Petrus pariter quos æquus amasti
Atque ardens pariter subvexit ad aetera virtus.
(vv. 79-83)

Locum Musarum tenent Clemens, Cynthius, Petrus, tres viri potentissimi, quibus poematum dicatur, e quibus Taxus auxilium, præsidium, gloriam expectat. Carmen regionum et populorum indice concluditur super quos Christi vicarius leges et pacem suam imponit qui, ut imperator triumphans, aquilas Romanas infert et cui poeta ominatur ut in numerum deorum referatur:

Victrices obeant Aquilæ fulgentia signa
Teque sero tandem iam longa pace peracta
Regia suscipiant, divum stellantis Olympi.
(vv. 107-109)

Hæc pagana imago pontificem ut maximam potestatem in orbe terrarum consecrat, in qua sacrum et profa-

num coniunguntur.

Mense Iunio anni 1594 Torquatus Neapolim se redidit¹² ut sanitatem et Portiæ matris bona, quorum possessio a principibus Abellinensibus impugnabatur, reciperaret. Hic in monasterio Sancti Severini hospes inter alia elegiam c. t. *O præstans animi primævo flore iuventus*¹³ scribit, qua Ascanium Pignatellium, Carolum Gesualdum Venosinum, Vincentium et Petrum Antonium Caracciolum, Matthæum Capuanum, Ioannem Baptistam Mansum, Horatium Feltrum, aliosque principes Neapolitanos laudat. De Latinitate autem sua dubitans, eam ad Franciscum Guerrerium mittit emendandam.¹⁴ Versus tantopere curat quod in animo habet eos publicare.¹⁵ Tamen nec hos nec alios versus tunc vel postea, morte correptus, vulgare potuit.

Elegia dividi potest in partes tres. Prima parte poeta nobiles Neapolitanos celebrat e terra (Neapoli) fructibus et heroibus feraci ortos:

O præstans animi primævo flore iuventus
Veræ illibatus nobilitatis honor,
Quos armis sceptrisque potens, atque ubere glæbæ
Educit molli terra beata sinu
Atque eadem studiis asperrima belli
Principe tuta suo nomine læta suo,
Clarum a stirpe genus, cognata ad sidera tollit
Supra Tyndaridas, Romulidasque Duces,
Qualis turrigenas urbes, turrita corona,
Magna Deum genetrix despicit alta petens.
(vv. 1-10)

Quibus in versibus argumentum quod carmen inspiravit statim apparet, id est nobilitas cuius in numero Taxus ipse fuit (nam pater eius honesto loco Bergomensis quamvis minorum gentium natus erat) et qua magnopere gloriabatur, quod hæc condicio magnificentiam potestatemque significabat. Is vult multa cum veneratione viros observare, qui eum hospitio munifice acceperant et auxilium et tutelam suppeditaverant in urbe, quæ in ditione Hispaniæ tunc temporis nobilibus se iactantibus scatebat, qui in aula regis Hispanensis vicari versabantur. Notanda est etiam imago terræ quæ videtur esse similis deæ Cybelæ quæ, more tradito, turri caput redimita fingitur, qua simul fecundas et imperium præbentur. Itaque paulo post Neapolis Marti et Conso, antiquo satorum deo Italico, sacra dicitur: «Vel tibi bellipotens, vel tibi, Conse, sacra» (v. 22).

Hic autem dii tutelares sunt, ut ita dicam, Lucretius et Vergilius. Alter proœmio poematis de *Rerum natura* Venerem omnium rerum genitricem et Romæ matrem laudat, quæ Martem mansuefacit. Hæc

belli et pacis mixtura in versu 14 videtur («Proelia pace gerens pacis et arma dedit») qui Taxianum barocum oxymorum continet. Lucretius autem recto tramite in versu 27¹⁶ insequenti loco affertur:

Et veluti fulvo frondescat silva metallo
Hesperidum pomis undique flagrat odor
Liliaque et violas submittit Dædala mater
Aptaque sunt teneris florida sarta comis.
(vv. 25-28)

Alter in secundo libro *Georgicon* Saturniæ telluris feracitatem extollit et agricolas oleæ et vitis culturam docet; unde versus 13 originem capit: «Et quæ sponte tulit pallentis germen olivæ»; præterea versus 17 («Atque hæc armorum primo concussa tumultu») versus tertium et quartum libri VIII *Aeneidis* recinit («utque acris concussit equos utque impulit arma/ extemplo turbati animi, simul omne tumultu») qui signum pugnae a Turno datum indicant. Partes maximi momenti sequuntur, quibus poeta Musas Phœbumque ipsum nobilium incepta canere affirmat. Tamen quoad eum, cum vires ad tantum opus non sufficiant, auxilium præbet Vergilius: «O fortunati¹⁷ vestras si fingere laudes/ Pro meritis ausim, deficient animi» (vv. 39-40). Loco amœno, poesi aptissimo in quo Vergilii spiritus volitat («Densus et irriguis obstrepit alnus aquis/ Responsant ripæ, magni tunc umbra Maronis/ Lucida odorato cernitur in nemore», vv. 36-38), poeta declarat, si velit res gestas nobilium recensere, eas victoriam Actiacam superaturas esse («Quid si conarer sacris evolvere chartis/ Nomina clara ducum, et fortia facta patrum/ [...] Altior actiacis aurea palma foret», vv. 45-46, 58).

Sed fama ipsa virtutem deteget. Adhuc pulchra nocturna imago, ubi «noctis signa severa» apparent, a Lucretio¹⁸ subiecta, et postea ultima hortatio:

Vos o durate, et vos impallescere chartis
Vos iuvat adsidua mente movere Deos.
Vos date iura polo (fas est), labor omnia vincit
Improbis, et merces gloria magna venit.
Nunc decora ingenii deceant, mox fulgur in armis
Et positis calamis ense corrusca manu.
(vv. 67-72)

Duro labore Vergiliano («labor omnia vicit»)¹⁹ nobiles Neapolitani studiis, iure, bello eminebunt et gloriam adipiscuntur. Classicæ mentiones – nam Vergilio Persius est addendus («impallescere chartis»)²⁰ – efficaci repetitione (vos/vos/vos) ditantur et imagini-

bus quibus lux exprimitur («fulgur in armis/ ense corrusca») poetæ nostri propriis, sæpe in operibus eius adhibitis, quæ eum Iacobo Tintoretto, secundæ partis sæculi XVI clarissimo pictori, qui in tabulis suis luce spatium instruit, similem reddunt.

Ut finem faciam dicere possum carmen in armis et gloria fundamentum habere quæ poesi obtineri potest. Quæ cogitata etiam iam in *Hierosolyma liberata* Torquatus expresserat, quæ notissimis verbis incipit: «Canto l'armi pietose e il capitano» *Aeneidis* initium («Arma virumque cano») resonantibus. Hac ratione quoque elegia attentionem nostram meretur.

Patri Francisco Guerrerio autem poeta ultimum laborem Latinum mittit, ad quem iam, ut vidimus, elegiam *Ad iuventutem Neapolitanam* emendandam commendaverat. Is Romam Neapoli erat reversus, a Petro Aldobrandinio vocatus, qui coronam poeticam in Capitolio accipiendam ei promiserat, qua ante duo sæcula Franciscus Petrarca erat honestatus. In epistula die 10 mensis Februarii anni 1595 Taxus sperat amici versibus se respondere posse, nisi vita et spiritus se relinquant.²¹

Franciscus Guerrerius Lupiæ vel in Brutio anno 1563 natus et Societatem Iesu anno 1582 ingressus,²² litterarum Latinarum et Græcarum peritus, artis rhetoricæ magister, carmina Latina quoque confecerat et unum ei miserat. Taxi responsio – *Ad Ioannem Franciscum Guerrerium sive alium Iesuarum patrem responsio* –²³ duobus mensibus ante mortem est exarata. Senex et ægrotus poeta primis verbis iuvenem Iesuitam ad cælum extollit:

Cœlestis levat aura polo, plaudentibus alis
 Quem genuit Phœbo Smyrna parens volucrem
 Quemque feras dulci mulcentem carmine mentes
 Vexit arundineo Mincius amne pater.
 (vv. 1-4)

Evidenti amplificatione Guerrerius cum Homero comparatur, cum dicitur Smyrnæ natus, in urbe quam antiqui viri docti Homeri patriam esse affirmabant; digna quæ memorentur sunt autem locus communis poetæ avi (cycno et aquilæ) æquati et poesis quæ fera ingenia mansuefacit, agnominatio («dulci mulcentem») redditus; flumen Mincius autem Vergilium magistrum eius refert. Postremo pulcher ultimus distichus videtur: «Ast me serpentem tollit, timidumque procellæ/ Non mea pennato, sed tua Musa gradu» vv. 9-10. Guerrerius, qui Musa sua sursum volat, tollere ad astra Taxum potest, qui timidus deorsum serpit. Agitur denuo de loco communi quo in carmine laudativo auc-

tor se deprimit, ut alter efferatur. Sed Taxus vult præsertim poesim laudare, a qua semper gloriam exspectaverat et quam sperat se Romæ adipisci posse. Tamen est senex et fessus, spiritus poeticus eum fugit et ei opus est iuvenis amici auxilium. Re vera sentiebat vires se relinquere et mortem appropinquare. Paulo post enim, a fato deceptus, in monasterio Sancti Onuphrii in colle Ianiculo sito die 5 mensis Aprilis 1595 e vita decessit, antequam corona laurea tam diu exoptata ornaretur. ☞

1. F. PAVONE, *op. mem.*, p. 39.
2. VERGILIUS, *Georg.*, II, 534.
3. T. TASSO, *Le Rime*, mem., t. II, n. 1583, pp. 1817-1818.
4. F. PAVONE, *op. mem.*, pp. 27-30.
5. T. TASSO, *Discorsi dell'arte poetica e del poema eroico*, mem., p. 12.
6. VERGILIUS, *Ecl.* IV, 7.
7. T. TASSO, *Le Rime*, mem., t. II, n. 1538, pp. 1748-1756.
8. VERGILIUS, *Æn.* VI, 273-281.
9. F. PAVONE, *op. mem.*, p. 36.
10. F. CHIAPPELLI, *Studi sul linguaggio del Tasso epico*, Firenze, 1957.
11. LUCANUS, *Bellum civile*, I, 128.
12. In epistula Ludovico Torres Montiregalensi archiepiscopo missa gratiam petit ut Neapolim redire possit, auxilium orans et dicit se poetam fessum esse plus quam equitem paratum tam magnum dominum servire. (Cfr. A. Ludovico Torres, *arcivescovo di Moreale* [maggio 1594] apud C. GUASTI, *op. mem.*, V, p. 171).
13. F. PAVONE, *op. mem.*, pp. 51-54.
14. Cfr. A. ALTAMURA, *op. mem.*, p. 125, qui etiam epistolam a patre Francisco Cozzarellio patri Francisco Guerrerio affert, Taxi ipsius mandatu missam, ut ad emendationem eum sollicitaret. Qua in epistula poeta manu sua subiungit ut prius exemplar reddat et cum altero exemplari Francisco Cozzarellio a se dato id comparet. (Cfr. C. GUASTI, *op. mem.*, V, p. 183).
15. Ut ex epistula patet Francisco Polverino abbati amico suo anno 1594 exeunte missa. (Cfr. A. Francesco Polverino [fine 1594], apud C. GUASTI, *op. mem.*, V, p. 192).
16. LUCRETIVUS, *De rer. nat.*, I, 7-8: «te dea fugiunt venti, te nubila cæli/ adventum tuum, tibi suavis dædala tellus».
17. VERGILIUS, *Georg.*, II, 458-459: «O fortunatos nimium, si bona norint/ agricolas!»
18. LUCRETIVUS, *De rer. nat.*, IV, 460: «Severa silentia noctis».
19. VERGILIUS, *Georg.*, I, vv. 145-146: «tum variæ venerere artes, labor omnia vicit/ improbus et duris urgens in rebus egestas».
20. PERSIUS, *Sat.* V, 62: «At te nocturnis iuvat impallescere chartis».
21. *Al padre Francesco Guerrerio gesuita Napoli* [da Roma 10/2/1595], apud C. GUASTI, *op. mem.*, V, pp. 118-119.
22. Cfr. A. ALTAMURA, *op. mem.*, p. 137.
23. F. PAVONE, *op. mem.*, p. 59-61.

DE IMMENSO CÆLO

(ANTE NOSTRI ÆVI INITIVM)

– scripsit Gaius Licoppe –

In *Melissæ* fasciculo 157¹ lectores invitavi ad explorandam intimam materiæ naturam eisque paululum detexi inauditas leges, quibus regitur atomorum mundus.

Hodie non ad minimas sed ad maximas res examinandas, Universum scilicet, eos invito.² Homo Sapiens, ut ipse se vocat, ab ortu suo oculos ad cælum dirigere non potuit sine maxima admiratione pavore commixta; cælum, primum horologium, primum calendarium, ubi mirum in modum regulariter moventur Sol, Luna et planetæ sub sphæra hærentium siderum et unde improvise cadit terribile fulmen. Non mirum si homines putaverunt tam præstans machinamentum exstare non posse sine rectione invisibilium timendarumque potestatum; sic cælum factum est sedes divinitatis, cui singuli populi propriam formam dederunt et portentosos mythos finxerunt.

In animo habeo lectori monstrare quibus gradibus homines desierint cælum habere ut tutelare tectum sedemque potentiæ divinarum. Quomodo invenerint eo magis recedere limitem Universi, quo longius, miris instrumentis præditi, mundum scrutarentur. Ubinam sedent dei?

A sexto sæculo a.Ch.n. veteres Græci ratiocinationem mythis substituere incipiunt. Sola cogitatione nonnulli egregii homines rationalem Universi imaginem sibi fingere conantur. Infeliciter eorum scripta ad nos non pervenerunt, præter fragmenta a posterioribus auctoribus citata et explicata.

Thales Milesius, unus e Septem Græciæ Sapientibus, astronomus omniumque rerum curiosus, habetur ut primus mathematicus; nam, cum Babylonii Ægyptiique numeris tantum uterentur in certis casibus, Thales solum cogitando generales proprietates geometricas invenit, quæ ad totum rerum ordinem applicari possent.

Anaximandrus Milesius, discipulus successorque Thalidis in eius schola philosophica, primus est, qui scripserit περὶ φύσεως, i.e. «de natura», et inde «physicus» vocatus est; fuit astronomus, mathematicus et geographus; primus dicitur esse, qui solutis verbis in scriptis usus sit. Anaximandrus quærebat Universi explicationem rationalem, non mythicam; quare habetur ut pater cosmologiæ. Principium originale habebat ἄπειρον, i.e. «infinite», æterna totaque causa generationis et deletionis omnium rerum. Anaximandrus primus mente concepit Universum esse machinamentum, ubi astra circumcursantia a Terra diversis mensuris distarent; intellexit Solem ingentem esse et ergo longinquissimum. Ab Antiquis habebatur ut primus geographus, quippe qui mappam totius orbis tunc noti delineavisset.



Orbis mappa secundum Anaximandrum, qualis fuisse putatur. (imaginum fons: Wikipedia)

Pythagoras Samius a patre Πυθαγόρας dicitur vocatus esse, quo significaretur «a Pythia nuntiatius». Quamquam in arithmetica (sive potius arithmologiam), geometriam et harmoniam multum incubuit, præsertim consociationem politicam religiosamque condidit esoterica doctrina rectam; quare ætate hellenistica adiectivum «Pythagoricum» iam significabat occultum, esotericum, magicum. Pythagoras primus se vocavit philosophum atque ad Universum designandum adhibuit vocabulum κόσμος.

Xenophanes Colophonius æquales suos irridebat propter formam moresque humanos, quos deis tribuebant; deorum anthropomorphismo suadebat ut substitueretur Deus unus, omnium rerum principium. In cosmologia putabat Terram esse planam atque infinitam.

Heraclitus Ephesius profitebatur cosmum increatum æternumque esse: κόσμον τόνδε, τὸν αὐτὸν ἀπάντων, οὔτε τις θεῶν οὔτε ἀνθρώπων ἐποίησεν, ἀλλ' ἦν αἰεὶ καὶ ἔστιν καὶ ἔσται πῦρ ἀείζων.

Parmenides Eleates primus est, qui autumaverit Terram esse rotundam inque medio Universo sitam; eam divisit in quinque climatis areas, duas glaciales circum polos, unam ad æquatorem, torridam inhabitabilemque, reliquas duas temperatas, quas homines habitare possent.

Anaxagoras Clazomenius (sæc. v) maxime incubuit in cosmologiam, cui novam notionem induxit: νοῦς, i.e. intelligentia, Universum instruit et regit; autumavit hoc: nihil oritur, neque perit, sed ea, quæ iam exstant, coniunguntur et postea dissolvuntur, id quod confirmat scientia moderna. Capite damnatus est ob

impietatem, quod astra non haberet ut deos, sed tantum ut massas igneas.

Protagoras Abderitanus habetur ut sophistarum primus; multa scripsit, inter quæ tractatum de deis, ubi, ut rettulit Plato (*Theet.*, 178, b), dixit: Πάντων μέτρον ἄνθρωπος ἐστίν, i.e. «Homo omnium mensura est»; hæc sententia diversimode intellecta est; apud Platonem significat singulos homines propriam habere veritatem, id quod ipse refutat. Protagoras scepticus est; de deis dicit se neque scire qui sint, neque qui non sint. Videtur insimulatus esse impietatis.

Democritus Abderitanus, omnis scientiæ studiosus, præsertim incubuit in physicam, ethicam, mathematicam artesque, de quibus permulta opera conscripsit; nullum tamen ad nos pervenit, cum tertio sæculo p.Ch.n. deleta sint; eius cogitationes, quæ cum nonnullis fragmentis a compluribus auctoribus nobis traditæ sunt, ab Antiquis æstimabantur, quamquam iam eo tempore non omnibus placebant; Plato dicitur optavisse, ut eius opera comburerentur.

Democriti interrogatio hæc est: quodcumque corpus dividi potest; si id ad infinitum dividitur, quid superest? Duæ sunt possibilitates: si nihil superest, tunc materia solum est virtualis; si superest aliquid, logice putandum est minimas particulas exstare, quæ neque dividi, neque secari possunt; hæc particulæ Græce dicuntur ἀτόμοι, i.e. inseparabiles. Cum concludit naturam tantum constare ex atomis et vacuo, iam prænuntiat scientiam modernam.

Plato (427-347) potius de metaphysica disseruit, quam de cosmologia; mathematicam tamen magni faciebat, ut patet e verbis, quæ in fronte Academiæ posuit: ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΜΗΔΕΙΣ ΕΙΣΙΤΩ, i.e. «Ne quis geometriæ ignarus intret».

Eudoxus Cnidius, astronomus, geometres, medicus et philosophus, itinera fecit in Persiam, Ægyptum et Halicarnassum; circa annum 370 Platonis adiutor fuit in Academia; postea propriam scholam Cnidi condidit.

Eudoxus præcipue notus est ob theoriam sphaerarum «homocentricarum», quibus, eius sensu, reguntur motus Solis, Lunæ et quinque errantium stellarum tunc notarum, Mercurii, Veneris, Martis, Iovis et Saturni; hæc omnia moventur circum Terram, quæ putatur in medio immobilis esse sita. Ut visibiles horum corporum cælestium motus aliqua theoria explicentur, Eudoxus sibi fingere debuit eos motus pro singulis corporibus haberi in compluribus sphaeris homocentricis, sed versantibus circum diversas axes; ternæ sphaeræ necessariæ erant Lunæ et Soli, quaternæ singulis planetis; hoc tamen systema vitium habebat, cum Eudoxus putaret planetarum distantiam a Terra esse

constantem. Etiam sphaera hærentibus sideribus necessaria erat, quæ intra 24 horas ab Oriente ad Occidentem circa polorum axem circumageretur.

Eudoxus primus est, qui rectum anni spatium invenit, 365 dies et quartam diei partem scilicet. Etiam habetur ut inventor «aranæ», quod instrumentum prima est astrolabii adumbratio.

Aristoteles (384-322), quamquam Stagiris in Macedonia natus, est Græcus. Platonis discipulus, viginti annos in Academia degit. Tres annos (343-340) præceptor fuit Alexandri, Philippi II Macedonis filii. Anno 335 Athenis propriam scholam condidit, quam Lyceum vocavit, verisimiliter cum esset a templo Apollonis Lycii proxima.

Aristoteles in omnes scientias incubuit, at non solum vix quicquam addidit præcessorum inventis, sed nonnullorum eorum cogitationes nostris temporibus comprobata recusavit. Habetur ut inventor logicæ formalis.

Aristotelis opera late divulgata sunt, postquam iussu Romanorum Andronicus Rhodius, ultimus Lycei rector, anno 60 a.Ch.n. ea collegit titulisque instruxit, quales adhuc adhibentur. Maximum diuturnumque pondus habuerunt hæc opera in cultu Mediævali, cum Latino christiano, tum Arabico mahumetano; sæculo XIII eius philosophia, a Thoma Aquinate christianismo aptata, facta est publica Ecclesiæ Catholicæ Romanæ doctrina ac scholasticam induxit.

Aristoteles Eudoxi cosmologiam geocentricam assumpsit, cui tamen nonnullas sphaeras addidit, ut motus corporum cælestium accuratius describerentur.

Heraclides Ponticus est Græcus philosophus astronomusque. Natus Heracleæ in Ponto, venit Athenas, ubi Academiam frequentavit et Aristotelem Platonemque convenit; postea scholam Heracleæ condidit. In astronomia aliquid putabat in systemate geocentrico esse mutandum: Terra manet in medio, sed Venus et Mercurius circumaguntur circum Solem; hoc mixtum systema sæculo XVI Tycho Brahe erit exemplo. Heraclides Ponticus primus etiam videtur esse, qui autumaverit Terram circum suum axem verti; hoc modo explicatur apparens motus diurnus sphaeræ hærentium stellarum.

Euclides (floruit c. a. 300), de cuius vita nihil scitur, fortasse fuit Aristotelis discipulus. Vixit Alexandria regnante Ptolemæo I, ubi laboravit in Museo et schola mathematicæ. Eius Elementa geometriæ habentur ut fundamentum huius scientiæ. Quamvis astronomus non esset, eius opera geometrica astronomis magno fuerunt usui.

Aristarchus Samius est astronomus et mathematicus; videtur studia Alexandria fecisse. Ex eius operi-

bus unum tantum ad nos pervenit, c.t. De dimensionibus et distantis Solis et Lunæ; ingeniose optimaque methodo mathematica mensuras fecit, quæ tamen falsæ sunt propter observationis instrumenta nondum satis exacta.

Putabat Terram et circum suum axem et circum Solem versari; Solem ponebat in medio Universo. Hoc scimus per Archimedis opus, cuius titulus Græcus est $\Psi\alpha\mu\mu\acute{\iota}\tau\eta\varsigma$, Latine Arenarius. Neque tamen Archimedes neque ceteri eiusdem temporis astronomi huic theoriæ assensi sunt his de causis:

- cum Sol ex igne constet, etiam si maior est Terra, ipse tamen levior est; ergo solum gravius corpus, Terra scilicet, potest immobile manere in medio Universo;

- si Terra moveretur, hoc pateret ex angulis quibus observantur sidera hærentia. Cum vero sidera hærentia multo longius a Terra absint, quam putabant Antiqui, angulorum mutationes (parallaxes) nimis parvæ erant, quam ut tunc observari possent.

- si Terra circum suum axem versaretur ab Occidente ad Orientem, omnes res Terræ non infixæ avolarent ad Occidentem. Galilæus primus hoc argumentum refutavit. - sacrilegium est remove re traditum Universi gremium.

Archimedes Syracusanus (c. 287-212) non solum habetur ut maximus Antiquitatis mathematicus, sed etiam optimus fuit machinator. Prima eius operum compilatio sexto demum sæculo p.Ch.n. facta est ab Isidoro Milesio, qui una cum Anthemio Tralliano, architectus fuit Hagia Sophiae Constantinopoli. Locus hic solum est de rebus astronomicis tractare, quare plura non dicimus quam supra in paragrapho de Aristarcho Samio.

Eratosthenes Cyrenaicus fuit astronomus, geographus, philosophus et mathematicus; primus adhibuit vocabulum quod est «geographia». A Ptolemæo III factus est rector Bibliothecæ Alexandrinæ.

Præcipue clarus est, quod Terræ circumferentem lineam valuit fere exacte metiri. Demonstravit quoque inclinationem plani eclipticæ, quam fere exacte metitus est. Confecit tabulam eclipsium et indicem 675 stellarum. Creator etiam est sphaeræ armillariæ, qua variis circulis finguntur motus corporum cælestium circum Terram.

Apollonius Pergæus putatur Pergæ in Pamphylia natus esse; fuit astronomus et præsertim geometres præclarus propter demonstrationes «sectionum conicarum»; ab eo creata sunt vocabula quæ sunt «ellipsis», «parabola» et «hyperbola». Antiqui, inter quos Vitruvius, dubitabant num Apollonius potius quam Eudoxus Cnidius esset inventor «araneæ».

Hipparchus, verisimiliter Nicææ in Bithynia natus

(c. 190-120), fuit mathematicus, astronomus, geographus et physicus. Multa opera scripsit, quorum pleraque perdita sunt; ea quæ servantur tradita sunt a Ptolemæo, qui eum magni æstimabat; bene nota in Antiquitate, eius opera fuerunt in Strabonis Pliniique Maioris manibus.

Primus mathematicus est, qui tabulas trigonometricas adhibuerit; habetur ut inventor trigonometriæ, quæ computationes astronomicas multo faciliores facit.

Hipparchus vixit tempore, quo post Persarum Achemenidarum Imperium ab Alexandro Magno subactum orbis Hellenicus Mesopotamiam includebat; sic Græcis facilior dabatur accessus ad Chaldæorum doctrinas. Hipparchus primus Græcus est, qui Chaldæorum præstantes technicas arithmeticas adhibuerit. Rectam distantiam inter Terram et Lunam invenit, sed erravit de distantia inter Terram et Solem. In eius Universi imagine Terra erat in medio.

Hipparchus habetur ut optimus siderum observator inter omnes antiquos; observationibus astronomicis usus est Babylone collectis ab octavo sæculo. Indicem positionum stellarum in sphaera cælesti confecit ac, suum indicem comparans cum primo Græco indice a Timochare Alexandrino uno sæculo ante confecto, præcessionem æquinoctium invenit; animadvertit enim intra unum sæculum stellas hærentes paululum (circiter uno gradu) de loco demotas esse in sphaera cælesti.

Anno 2005 Bradley E. Schaefer, astrophysicus Americanus (*Louisiana State University, Baton-Rouge*), antiquam Atlantis statuam in Neapolitano museo archæologico servatam inspiciens, comperit in globo terrestri, quem fert Atlas, præter circulos astronomicos etiam delineata esse 41 sidera ex Hipparchi indice.


Hipparchus etiam habetur ut inventor astrolabii.

Seleucus est Chaldæus hellenizatus, Seleuciæ in Mesopotamia prope Babylonem natus, quare Strabo eum vocat Seleucum Babylonium; fuit astronomus, geographus et philosophus. Solus videtur fuisse, qui Aristarchi Samii heliocentrismum comprobaverit et hoc quidem rationaliter; eius argumenta infeliciter ad nos non pervenerunt.

Ergo intra quattuor sæcula ingeniosi rationalesque viri ex orbe Græco oriundi fundamenta posuerunt mathematicæ, geometriæ, trigonometriæ et astronomiæ. Demonstraverunt Terram esse sphaeram; motus stellarum errantium tam accurate describere valuerunt, ut eclipses potuerint prænuntiare. Sunt etiam, qui ausi sint geocentrismo substituere heliocentrismum. Primos magnos stellarum catalogos cum angularibus positionibus creaverunt ac præcessionem æquinoctium invenerunt.

Nuper quoque demonstratum est, obstupente orbe

scientifico, antiquos Græcos computatrum mechanicum conficere valuisse (vide symbolam «De machina Anticytherorum», in *Melissæ* fasciculo 168 divulgata); nemo enim putabat homines illius ætatis metallinas rotas denticulatas fabricavisse easque præsertim tam scienter instruere valuisse.



Certe Anticytherorum machinamentum non fuit unicum. Cicero etiam unum describit, his verbis: «Nam memoria teneo C. Sulpicium Gallum, doctissimum, ut scitis, hominem, cum idem hoc visum diceretur et esset casu apud M. Marcellum, qui cum eo consul fuerat, sphæram quam M. Marcelli avus, captis Syracusis, ex urbe locupletissima atque ornatissima sustulisset, cum aliud nihil ex tanta præda domum suam deportavisset, iussisse proferri; cuius ego sphæræ, cum persæpe propter Archimedi gloriam nomen audissem, speciem ipsam non sum tanto opere admiratus; erat enim illa venustior et nobilior in vulgus quam ab eodem Archimede factam posuerat in templo Virtutis Marcellus idem. Sed posteaquam cœpit rationem huius operis scientissime Gallus exponere, plus in illo Siculo ingenii quam videretur natura humana ferre potuisse iudicabam fuisse. (...) In eo admirandum esse inventum Archimedi quod excogitasset quem ad modum in dissimilibus motibus inæqua-

biles et varios cursus servaret una conversio. Hanc sphæram Gallus cum moveret, fiebat ut soli luna totidem conversionibus in ære illo quot diebus in ipso cælo succederet...»³

Etiam Ciceronis tempore huiusmodi machinamenta fabricabantur, ut ipse narrat in opere c.t. *De Natura Deorum*: «Quod si in Scythiam aut in Britanniam sphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulæ conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cælo singulis diebus et noctibus...»⁴

Satis rara tamen videntur fuisse hæc machinamenta; pauci etiam erant homines, qui ea fabricare aut eorum rationem intellegere valerent; deerat enim tunc scientiæ diffusio, qualis ætate Renascentiæ fuit ope typographiæ. Ut in lineis supra citatis legitur, etiam homines eruditi, sicut Cicero, obstupefacti admirabantur huiusmodi machinamenta, quorum rationem non plane intellegebant.

Maior etiam est ignorantia populi, cuius Cicero bonum exemplum præbet in opere c.t. *De Re Publica*: «Memini [ait Scipio] me admodum adulescentulo, cum pater in Macedonia consul esset et essemus in castris, perturbari exercitum nostrum religione et metu, quod serena nocte subito candens et plena luna defecisset. Tum ille [sc. Sulpicius Gallus], cum legatus noster esset anno fere ante quam consul est declaratus, haud dubitavit postridie palam in castris docere nullum esse prodigium idque et tum factum esse et certis temporibus esse semper futurum, cum sol ita locatus fuisset ut lunam suo lumine non posset attingere.»⁵

(Continuabitur)

1. G. Licoppe, «De nanomachinis», in: *Melissa* 157 p. 4.

2. Præcipui fontes, quos adhibui, sunt hi: Edgard Gunzig, *Que faisiez-vous avant le Big Bang?*, Paris, Odile Jacob, 2011; Igor et Grichka Bogdanov, *Le visage de Dieu*, Paris, J'ai lu, 2011.

3. *De Re Publica*, I, 14.

4. *De Natura Deorum*, II, 88.

5. *De Re Publica*, I, 15.

DE MVSICA TEMPORIS FVTVRI

– interrogat Francisca Deraedt –

Ei vestrum, boni lectores, qui, sicut ego, actum esse putant de vera musica post Mozartii obitum, verisimiliter sicut ego numquam adfuerunt concentui cantatricis Björk, atque ergo nondum admirari potuerunt nova eius instrumenta musica. Finge tibi giganteam pyxidem musicam gramophonis coniunctam: ecce *sharpsichord*; mixturam percussionum Iavanensium, metallophoni et... clavis: hoc est *gameleste*; silvam harparum pendularum, scaporum fibro-vitreorum chordarumque: en *gravity harp*, unde soni extrahi possunt, quos aures Iohannis Pachelbel procul dubio numquam audiverunt.


Eadem «sacerdotissa pantheistica», ut vocari videtur, antea iam usa erat tabula musica, *reactable* vocata, Barcinone in studiorum universitate excogitata. Quæ tabula et sonos et imagines electronice tractat: musicus in ea ponit ac movet res geometricas, quarum forma, situ motuque creatur sonus quilibet. Cum pauci homines hoc oblectamentum 9.700 euronum sibi offerre valeant pecuniaque tamen sit aliquo modo facienda, programma multo minoris pretii confectum est informaticis tabulis telephonisque aptum: qui ludus, *reactable mobile* inscriptus, telephorum tuum mutat in instrumentum creatorium teque simul facit egregium compositorem.

Mox autem amatores pedifollii utriusque follis musicæque studio satisfacere poterunt: in eo enim sunt ut «alphasphæram» sibi acquirere possint, quæ in tabernis nisi fallor a mense Septembri venum dabitur. Hic follis, ordinatro coniunctus, digitorum pressione sonos emittit quam maxime varios.

At nihil contra artem hodiernam (id absit!) neque quicquam contra progressum technicum, quo insuper nova munera feliciter creantur in hoc discrimine nostro œconomico valde desiderabilia.

Quæ autem est harum novitatum utilitas? Possuntne novi soni, eidemque quantum fieri potest auditu iucundi, adhuc inveniri? Equidem, qua sum ignorantia, silvam harparum pendularum contemplan, utilitatem non percipio, sed tristes differentias. Iohannes Sebastianus Bach novis machinamentis non eguit ut æternam crearet musicam. Cantor in se habet

instrumentum, quod modulatur arte, labore, voluntate. Harpista instrumentum digitis artificiose mulcet, cum isto nostrorum temporum miraculo tota res procul regatur ordinatro, sonique inde fiant quos harpa classica (Deo gratias...) producere non valet. Multi concentus musici mirum in modum non iam sunt concentus, sed facinora, et insuper eo ipso nomine commune vocantur (facinus enim est *performance*). Denique mihi de his rebus cogitanti in mentem venit titulus cuiusdam fabulæ olim lectæ: 'Mozartius trucidatur'...



Anno 1804 Iobannes Nepomuk Mälzel primum *orchestrion*, nomine 'panharmonicon', creavit, mechanicum instrumentum cuius nullum exemplar superest. Anno 1813 Beethoven ab eo rogatus opus conscripsit ad inventionem celebrandam: «Victoriam Vellingtonianam» (quod opus ipse compositor dixit esse nullum). *Orchestrion* quod hic ostendimus a. 1862 confectum est a Michaele Welte (www.pianola.org). Ceterum huiusmodi affectatio nova non est: iam anno 1660, ut hoc unum exemplum proferamus, Athanasius Kircher 'arcam' excogitavit 'musarithmetica'.



In hoc fasciculo !

THAE [G. Licoppe] p. 1

De Gerardi Vossii Borchlouii 'Artis rhetoricæ methodo' nuper reperta (I) [S. Gysens] p. 2

De comico deque philosopho [I.A. Rojas Carrera] p. 6

De Torquati Taxi carminibus Latinis (II) [P. Marongiu] p. 8

De immenso cælo [G. Licoppe] p. 12

De musica temporis futuri [F. Deraedt] p. 16

Imago tegumenti :

A. 1608 (i.e. anno ante mortem) hæc imago Vossii depicta est, quæ secundum hanc clavem legitur: Vossius hic monstratur inter (fere) omnes editiones suas iam divulgatas (= libros clausos), inter editionem Operum S. Leonis quæ proprie illo tempore Lutetiæ sub prelo erat sed quæ tandem numquam publici iuris facta est (= librum apertum), dum scribit opus apologeticum (Triumphum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ) quod tamen numquam in lucem datum est.

In superiore parte imaginis hæc inscriptio legitur: R.D. Gerard(us) Vossius S. Th. Doct. Præpositus / Tongre(nsis) postqua(m) SS. Patru(m) Ephrem / Siri et Gregorii Thaumaturgi op(era) / i(n) luce(m) edidit, et S. Leone(m) Magnum / Papa(m) recognovit ac illustravit / aliaq(ue) A(n)tiquit(atum) Eccl(esia) monume(n)ta / Romæ evulgavit, ha(n)c sua(m) effigie(m), / p(ro) memoria, amicis exprimi permisit / Ætatis suæ 61.

Qui textus postea fons factus est auctori qui composuit titulum sepulchri (nunc deperditi) qui legi potest i.a. apud Johannem Chapeavillum in opere c.t. Qui gesta pontificum Tungrensium, Traiectensium, et Leodiensium scripserunt auctores præcipui (...) (Leodii: Typis Christiani Ouwercx iunioris, 1612-1616, vol. III, p. 667-668).

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

